



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. I. Ejus Fundamenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

eternâ, & pietate celeberrimos numerat pro
se Doctores sententia affirmans ulum proba-
bilitatum, quàm numeret sententia affir-
mans Deiparam in peccato conceptam.

N. 56. Contra 5. quia si sententia affirmans Dei-
param sine labe conceptam est tantum proba-
bilis, aderit periculum falsitatis, & cul-
tus eam falsitatem supponens erit materiali-
ter malus; ab hoc autem Riccius numquam
se liberabit, etsi dicat, quod illud periculum
contemnitur, quia adest laudabilis, & pius
erga Deiparam voluntatis affectus; quod
bonum longè præponderat periculo illius
mali intellectualis: Contra enim est, quia
non tantum adest periculum mali intelle-
ctualis, quod est falsitas, sed etiam pericu-
lum mali moralis, nempe honor, & cultus
omnino indebitus Deiparæ, si non est sine
labe concepta: tam enim peccatur non ho-
norando, quando honor debetur, quàm pec-
catur honorando, quando honor non debe-
tur: ergo sicut licet sequi sententiam proba-
bilem de Immaculatâ Conceptione, & benè
sequimur, nec hoc negari potest, etsi adit
periculum falsitatis, & cultus indebiti, &
immeriti, seu peccatum materiale intelle-
ctus, & voluntatis, cur non in aliis materiis?
Rursus sicut in hac materiâ non datur præ-
ceptum vitandi peccatum materiale intelle-
ctus, & voluntatis, ita nec in aliis; immò
sicut ibi illud præceptum, si fortè datur,
quia tamen non est certum, non obligat, ita
nec alibi, quia si fortè datur, certò non con-
stat. Nec dici potest articulum Conceptionis
non esse materiam fidei: est enim in co-
sensu, quo omnes intelligimus, quatenus est
materia definibilis, & habet fundamentum
in Scripturâ; hoc enim vocamus materiam
fidei; etsi non sit materia fidei in hoc alio
sensu, nempe, quod sit definita, & creden-
da de fide.

N. 57. Contra 6. quia dum Riccius dicit n. 22.
quod Pontifices unice vetuerint, ne quis vo-
ce, aut scripto doceat sententiam non piam;
non autem ne quis hanc intus suâ in mente
teneat, quod idem dicit de damnatis ab Ale-
xandro VII. & Innoc. XI. quod unice pro-
hibuerint, ne quis eas doceat, defendat, edat;
nô autem, ne quis mentaliter eas teneat; dum
hæc, inquam, dicit, eo ipso approbat prin-
cipium, quod alibi rejicit, nempe, quoties
lex non constat, non datur: sed lex damnans
ne quis mentaliter eas damnatas teneat, non
constat; ergo non datur.

Contra 7. quia dum dicit, quod quoties
Pontifices dispensarunt, fuerunt moraliter
certi id sibi licere, duo confundit; vel enim
Papæ fuerunt semper moraliter certi de ob-

jecto; & hoc non, quia fides adhibita doctis-
simis, ac piis viris non dat certitudinem mo-
ralem speculativam de veritate rei, cum il-
lis plerumque opponerentur alii æquè do-
ctissimi: ergo Papæ non semper fuerunt mo-
raliter certi de veritate directâ rei: vel fue-
runt semper certi moraliter reflexè, quate-
nus est moraliter certum licere, quod viri
doctissimi dicunt verum, sive probabiliter,
sive probabilius illud dicant? & sic manus
dat Probabilistis Reflexistis.

SECTIO II.

*Vult quod sequens minus probabilem dubitare
debeat de peccato; & quod judicium refle-
xum impossibile, & inutile sit.*

§. I.

Ejus Fundamenta.

SUMMARIUM.

*Ait ex jure esse peccatum operari cum scrupulo
peccati, multo magis cum opinione probabili
peccati, n. 58. 59.*
*Ait quod judicium directum incertum non possit
dare certitudinem reflexo, n. 61. 62. 63.*
*Ait nostram doctrinam, quod quis possit esse cer-
tus de honestate formali, quin sit de objectivâ,
destruere regulam, Tene certum, n. 64.*
*Ait nostrum principium, Licet operari juxta
probabilem, esse falsum, tantum abesse, ut
sit certò verum, n. 65.*
*Ait quod nisi asseratur revelatio, numquam cre-
det, quod prudenter agat, qui sequitur pro-
babilem, n. 66.*
*Ait certitudinem nostri principij esse purè volun-
tariam, & ex libidine, n. 68.*
*Voluntas non nixa rationi est libido, ait S. Aug.
ibid.*
*Aristoteles ait, quod idiotæ facile pronuntiant,
ibid.*
*Cur S. Augustinus vocetur à Nebrigenſi Acade-
micus? Ibid.*
*Ait dari præceptum vitandi peccata materialia,
n. 69.*
*Ait legem vetare, ne fiat, non verò, ne culpabi-
liter fiat: & mirandum, quod oppositum af-
firmemus, n. 70.*
*Ait finem legis non esse removere culpas, sed re-
move peccata materialia, ibid.*
*Ait quod si peccata materialia vitanda non es-
sent, nescientes legem, instruendi non essent,
n. 71.*
*Ait charitatem obligare, ut vitemus peccata ma-
terialia: & quod si vitanda non essent, nemo
dolere possit de peccato, ut est Dei offensâ, ibid.*
Ait de peccatis materialibus etiam invincibili-

ter patris dolendum, ibid.

Suadet exemplo Divi Augustini. D. Magdalenae de Pazzis, & S. Theresiae, & ex damnatione ab Innocentio XI. Licetum est gaudere de parricidio, n. 72.

Ait Judaeos dolere debuisse de Christi D. morte; est ea mors foret illis extrinsece probabilis, quod non esset peccatum, n. 73.

Ait, ideo operantes rem malam, sub certitudine morali de non malitia, non dolere debere, quia ea malitia non fuit libera: contra in Probabilistis, n. 74.

Ait vel licere Medico, Judici &c. usum minus probabilis; vel nullam in materia licere, n. 76.

Ait bonitatem, & malitiam operis non pendere à nostro judicio, sed à naturae actus, ibid.

Ait in omni probabilitate esse peccati periculum, n. 77.

Ait nos sape negare omnes probabiles esse tutas, n. 78.

Ait quod sicut in rebus transitorijs non fidimus probabilitati, ita nec in aeternis, ibid.

N. 58. **A**ffero sub unicum intuitum rationes M. Ricij ex Ordine S. Aug. qui cap. 4. haec habet.

Prima est; quia qui deliberatè vult exercere opus, de quo probabiliter dubitatur, vel dubitare debet, an sit peccatum, peccat: sed operans ex opinione probabili exercet deliberatè opus, de quo debet dubitare, immò dubitat probabiliter, an sit peccatum; ergo peccat. Maior est communis, & patet, tum quia ita operans non curat de peccato; tum quia ex cap. *Inquisitioni*. de Sent. excom. Papa docet explodendam omnem conscientiam ex credulitate levi, & temeraria de peccato, seu de impedimento matrimonij, ut actus conjugij sit licitus: tum quia ex cap. *Per tuas*. 2. de Simoniâ, dicitur de Monacho ordinato ab Episcopo, cognito post Ordinem susceptum, & credito ex aliquorum relatione ut simoniaco: dicitur, inquam, quod Monachus (qui nec volebat in Ordine suscepto ministrare, nec ad alios Ordines ab eodem promoveri) possit in ordine suscepto ministrare, etsi non ad superiores Ordines ascendere; & suadet, ut conscientiam scrupulosam deponat: ergo si est peccatum facere opus, quod ex scrupulo dubitatur peccatum, quantò magis ponere opus, quod ex ratione probabili dubitatur esse peccatum? Minor probatur; quia quoties probabiliter tantum cognoscitur opus ut rectum, assensus de ejus rectitudine non est certus, sed cum formidine probabili de opposito etiam probabilis; eo enim ipso, quod rectitudo est tantum probabilis, ejus oppositum est etiam

probabile, alias rectitudo esset certa: ergo eo ipso quod rectitudo est tantum probabilis opinanti, eo ipso formidat de probabilitate opposita: ergo operans ex sola probabilitate rectitudinis ponit opus de quo dubitat, an sit peccatum; cognoscit enim utramque probabilitatem: ergo manifestè peccat.

Nec dici potest 1. quod licet judicium de N. rectitudine operis sit incertum, attamen judicium reflexum fundatum in principis, quod licitum sit sequi opinionem probabilem, seu judicium directum incertum de rectitudine, illud, inquam, judicium reflexum sit certum.

Contra enim est 1. ait Riccius n. 3. quia N. haec doctrina est omnino absurda; si enim 60. esset intolerabile dicere, *operare cum dubio peccati*, intolerabilius est dicere, *tene peccato, te non peccare in opere, quod est dubium, an sit peccatum*; illud enim est tantum contra Dei timorem; hoc est contra lumen rationis: sed nos dicimus hoc: nam judicium directum enuntiat illud opus non esse immune à periculo peccati; judicium autem reflexum dicit, quod non sit peccatum ponere illud opus: ergo.

Contra 2. quia, ait, judicium directum N. incertum non potest dare certitudinem judicij reflexo: ergo si judicium directum non liberat à periculo peccati, nec judicium reflexum liberabit.

Contra 3. ait, quia implicat in terminis N. ut ideo certum sit illud opus fieri sine peccato, quia incertum est ipsum non esse peccatum: sed hoc accidit in casu nostro; ideo enim per judicium reflexum sum certus, illud opus esse sine peccato, quia per judicium directum sum incertus illud opus non esse peccatum: ergo.

Contra 4. ait n. 5. *ad finem*; quia non ap. N. paret, quomodo cognitio directa, vel reflexa transferre possit objectum de formaliter bono in formaliter malum.

Contra 5. ait n. 6. & 7. quia si hec nostra N. responso tenet, nempe quod operans ex 64. probabili sit certus de honestate formali sui actus, licet sit incertus de objectiva, sequitur, quod omnia jura, & Scripturae, & Patrum dicta, quibus definitur, eligendum esse certum, & tutum, sint ridicula: numquam enim illa regula, *Tene certum, dimitte incertum*, habebit locum: si enim adfuit in omni dubio, & controversia pro utraque parte rationes probabiles, utraque pars erit reflexè certa, quod non peccat: ergo dicta regula numquam habebit locum, quia juxta nos semper in dubijs eligitur certum, quatenus super quacumque probabilitate de rectitudine

dine operis fundatur iudicium de non peccato in eo opere; hoc autem ita esse non potest. Ideo enim Jus definit, tenendum certum, omittendum incertum, quia pro certo habuit non posse in cognitione incertâ, seu purè probabili de honestate operis fundari iudicium certum de non peccato in eo opere: ergo multo minus propter oppositas probabilitates haberi possunt duo iudicia certa, quòd sive hoc, sive oppositum facias, immunis sis à peccato, cum alterutrum ex oppositis necessario in materiâ præcepti sit peccatum.

N. 65. Contra 6. ait n. 8. quia certitudo nostri iudicii reflexi derivatur à principio universali, quòd licet operari juxta probabilem: sed hoc principium est incertum, etsi daretur esse verum: ergo non possumus assumere illud tamquam certum. Hinc ait n. 10. quòd sit omnino vanum dicere, quòd certitudo in iudicio reflexo haberi possit ex reflexione supra motivum probabile, considerando illud esse probabile, & prudens; vanum, inquit, est, nam reflexio dare non potest motivo, quod non habet in se. Vel igitur illud motivum est prudens ante reflexionem; & tunc non est necessaria reflexio, ut possit ex illo prudenter, & tutò elici operatio; ut patet, quoties motivum est moraliter certum, & evidens, in quo casu, ut tutò operer, non est necessaria reflexio supra certitudinem, & evidentiam motivi: vel non est ex se prudens; & tunc reflexio nihil potest ei dare: quid enim est reflectere supra motivum probabile, nisi illud iterum considerare ut probabile? ut patet in cæteris omnibus: ut enim operatio sit fortis, iusta, temperans, non requiritur reflexio supra motivum considerando illud inducere ad actum fortem, & iustum, sed sufficit, ut à principio sit cognitum tale; quod idem accidit in actibus pravis: ergo inaniter dicitur, quòd reflexio supra probabilitatem motivi requiratur, & præster, ut illud sit prudens, & sit fundamentum ad prudenter operandum.

N. 66. Contra 7. ait n. 13. quia Probabilistæ non aliter probant, quòd liceat operari juxta probabilem, quàm quia operans juxta illam agit prudenter, & Deus nil amplius exigit à nobis; sed hoc est falsum; immò nisi asseratur revelatio, non est credendum: ergo.

N. 67. Contra 8. ait; quia dicere, quòd restitudo operis possit esse incerta, & tamen esse simul certum, quòd eliciens illud opus incertè honestum, sit immunis à peccato propter certitudinem hujus nostri principij, quòd liceat sequi probabile, est iterum assumere ut certum, quòd est incertum: rursus non est

Tom. III.

possibile, quòd operans sit certus se non peccare ponendo opus, quòd incertum est, an sit peccatum: ergo implicat, quòd adfit incertitudo de opere, an sit peccatum, & simul adfit certitudo, quòd non peccet illud exequens: ex. gr. implicat, quòd sit incertum, an dispensatus in carnibus possit cœnare die jejuniij, & certum sit Titio dispensato in carnibus posse cœnare die jejuniij: ex his, inquit, constat impossibilitas certitudinis ejus iudicij reflexi.

Subdit eam certitudinem non tantum esse N. impossibilem, sed, ut ait n. 14. esse merè 68. voluntariam; si enim certitudo ejus principij non est ex ratione, ut probatum est, erit tantum ex voluntate, ut Arist. dicit de ijs, qui adhærent suis opinionibus tamquam demonstrativis: cum autem voluntas non ducta ratione sit libido ex S. Aug. lib. 1. de libero arbitrio cap. 1. talis certitudo erit ex libidine. Quòd autem sit merè voluntaria, suadet n. 15. hac ratione: quia motiva æquè, aut terè probabilia simul applicata eidem intellectui nullum possunt causare assensum; immò se invicem impediunt: ergo cum non detur ratio, cur potius assentiatur huic, quàm illi, tota determinatio est à voluntate, quæ est libera inter media æqualia eligere hoc præ illo, ut docuerat lib. 2. de Act. hum. cap. 12. & ideo Arist. dixit, quòd ad pauca respicientes facile enuntient, id est, se determinent ad assensum, quia non considerant omnia; contra viri cordati stantes inter equalia motiva solent omnem assensum suspendere, ut singulariter fecit S. Aug. qui propter hoc ab Antonio Nebrigenfi vocatus est discipulus Academiæ nil affirmantis; & à Secundino Manichæo dictum est, quòd S. Aug. armatus est contra omnia, assermet verò nihil; & à Luthero, quòd ubique disputet, nusquam assermet: ergo iudicium illud certum reflexum, quòd Probabilistæ formant supra unam partem contradictionis inter æquales probabilitates, est merè voluntarium. Addit n. 16. certitudinem principij reflexi de licito usu esse temerariam, nam procedit ex inconsiderantiâ motivorum, quæ movent in oppositum. Confirmat; quia incerta pro certis, aut falsa pro veris habere, est error ex S. Aug. sed nos eo iudicio reflexo tenemus ut certam restitucionem operis, quæ, ut deducitur ex principijs probabilibus, est incerta: ergo erramus, & quidem voluntarie.

Secunda ratio est n. 17. quia quando Probabilistæ dicunt licitum sequi probabilem, formando iudicium reflexum, quòd operandum juxta illam nullum admittatur peccatum;

Kk

tum;

tum; vel intendunt, quòd opus factum juxta illam non sit malum; vel etsi sit in re malum, non sit tamen imputabile ad culpam, illud operanti? Primum non subsistit; quia opus esse in se malum, vel non esse in se malum, non pendet à nostris probabilitatibus, multo minus à judicio reflexo, sed unice pendet à conformitate actus cum lege, & ideo etiam in ignorantibus invincibiliter legem reperiuntur opera mala maioris malitiae, ut patet ex S. Aug. ergo si actus habet

S. Aug. ex se malitiam, non possunt nostra motiva probabilia eam ab eo tollere; alias motiva contraria probabilia transferrent actum de malo in bonum, & contra: ergo ad summum dici potest, quòd opus illud, etsi ex se malum, non sit imputabile ad culpam operanti ex motivo probabili de ejus bonitate; & ad hoc fortè valere potest judicium illud reflexum certum, (ne de eadem veritate dicatur simul adesse certitudo, & incertitudo) nempe, ut quamvis incertum sit, opus non esse peccatum, seu rectè factum, attamen certum sit, quòd operanti non imputetur ad culpam, quoties operatur ex opinionione probabili de ejus bonitate, ut docet

Averf. Averfa 1. 2. qu. 18. sect. 17. ex communi sensu Probabilistarum, dicens, quòd qui operatur ex eo judicio reflexo certo, non se exponit periculo peccandi formaliter, sed ad summum materialiter. Verumtamen subsumit Riccius: sed datur præceptum vitandi peccata materialia: ergo exponens se periculo ea patrandi peccat formaliter: ergo perniciosa, & falsa est doctrina Probabilistarum.

N. Minorem probat 1. quia ipsum peccatum materiale vetatur à lege; non enim vetat lex, nè culpabiliter fiat, sed nè fiat; & eo ipso quòd fiat, culpabiliter fit; ut patet in ignorantibus invincibiliter legem, qui etsi non peccent culpabiliter contra eam, dantur tamen peccata plùs, vel minùs gravia juxta naturam actus per ordinem ad legem; gravius enim peccatum est incestus, quàm fornicatio, etsi utrumque ignoraretur esse peccatum: & trahit calum Pharaonis, & Abimelech, ex quo utroque constat, quanti Deus faciat peccata materialia, de quibus Probabilistae dicunt non esse curandum: ergo vitanda sunt peccata materialia; immò nisi hæc sint vitanda, non datur peccatum formale, id est culpa; ideo enim culpa est ea patrare, quia ea sunt vitanda, ut proinde mirum sit affirmari oppositum. Confirmat; quia finis directus legis non est removere culpas, sed est removere actus, seu peccata materialia, his enim turbatur ordo à lege præscriptus: ergo vitanda sunt; nam actus

externus contra legem habet propriam malitiam distinctam ab actu interno violationis, quia est contra ordinem rerum intentum à Legislatore, immò propter eum mala est volutio interna.

Probat 2. eandem minorem n. 20. quia si N. vitanda non essent peccata materialia, se. 71. quæretur, quòd laborantes invincibili ignorantia legis instruendi non essent, si enim instruantur, sient sepe rei peccati formalis, cum antea erant tantum capaces peccati materialis, quod non est vitandum. Addit peccata materialia esse Dei offensam, quia turbant ordinem à Deo institutum: & n. 21. subdit, quòd si vitanda sunt tantum peccata formalia, sequitur, quòd ratio, ob quam tenemur non peccare, non sit offensa Dei, sed nostrum damnum, quod est impium dicere. Sequela probatur; quia offensa Dei est in omni peccato materiali; est enim actus deordinatus contra institutorem ejus ordinis: ergo si vitanda non sunt peccata materialia, ratio, ob quam tenemur non peccare, non est offensa Dei, sed nostrum damnum. Quare mirum est DD. ne dum Catholicos, sed Ecclesiasticos, & Regulares proferre potuisse, non esse vitanda peccata materialia.

Probat 3. eandem minorem n. 24. quia N. de peccatis materialibus, etsi per invincibilem ignorantiam committis, adeoque non imputabilibus ad culpam, dolere possumus, & de ipsis gaudere est peccatum: ergo vitanda sunt peccata materialia. Antecedens probatur; quia amicus si ponat invincibiliter opus aliquod contra amicum, ex ipsa ratione amicitiae trahitur de eo opere: ergo ratio charitatis nos obligat, ut doleamus de peccato materiali; & ideo S. Aug. lib. 1. Confess. cap. 7. infantia suæ peccata plorat, nempe quòd ubertius inhiaret plorans, quòd irascereetur maioribus non servientibus ad nutum, hoc autem non nisi, quia ea opera etsi non essent culpa, erant tamen actus ex natura sua deordinati. Similiter legimus S. Theresiam, & S. Magdalenam de Pazziis dolere peccata infidelium, etsi per ignorantiam invincibilem commissa. Immo Innoc. XI. damnat hanc 15. sententiam: *Licetum est gaudere filio de parricidio patris a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecuturas: hoc autem homicidium non est nisi peccatum materiale: ergo non licet gaudere de peccato materiali.*

Modò rogat n. 24. Probabilitas, an si opus N. ex probabilitate assertum honestum, certo 73. deinde constet fuisse inhonestum, an necesse de eo dolere possimus? Si affirmans, ergo fitur

tentur fuisse malum, & ex tunc non faciendum; non enim est prudenter taliter operari, ut de opere patrato dolere debeat. Si negant, contra est; quia sicut amicus nolens offensam amici aliquid faciat amico contrarium, ex vi amicitiae de eo dolere; ita Probabilista dum deinde cognoscit se aliquid fecisse, quod in se malum erat, dolere etiam potest de eo, alias declarabit, se plus amare delectationem, aut utilitatem ex eo opere habitam, quam rectitudinem ordinis, & operationis à Deo praescriptam. Addit, quod si de malo ignoranter invincibiliter commissio, cognita ejus malitia, dolere tenemur, immo & de factis ab aliis recte dolemus, multo magis de peccatis factis sub opinione probabili de non peccato. Quod autem de peccatis ex ignorantia commissis dolendum sit, constat ex Scriptura; nam plebs Judaica probabilitatem extrinsecam habebat de non peccato in Christi D. crucifixione; & tamen de ea illis dolendum fuit: ergo asserere non possumus, ait n. 25. quod dolendum sit de peccatis ex ignorantia invincibili commissis, non autem de commissis ex ignorantia vincibili, & ex opinione probabili.

N. 74. Neque verò, ait n. 27. haec difficultas premit Sēctatores certi moraliter, quia licet verum sit moralem certitudinem non esse prorsus infallibilem, & qui eam sequitur, peccare posse, eique merito de suo peccato dolendum; attamen dolere tantum debet tamquam de opere non recto, seu contra ordinem ex amore rectitudinis, & ordinis, sicut displicent peccata ab aliis facta, etsi ex ignorantia invincibili facta sint; attamen non debet dolere tamquam de propria culpa, nisi dubitet se ex propria negligentia ad assecutionem veritatis non pervenisse. Ratio est; quia non potest adesse culpa in sequela certitudinis moralis, cum in re morali maior haberi non possit. Addit n. 28. opus ex certitudine morali factum, etsi malum, non esse objectum poenitentiae proprie dictae, quae non est nisi de propria culpa; sed admirationis, quod tale opus potuerit esse non rectum: ergo operantibus ex certitudine morali, aut invincibili ignorantia laborantibus non est proprie poenitendum de peccatis sub ea commissis, quia poenitentia proprie dicta supponit potentiam, & debitum abstinendi ab actu ex S. Aug. quae non datur in habente certitudinem moralem, aut in laborante invincibili ignorantia; sed habenda est displicentia de irrestitutione operis ob amorem justitiae, & ordinis. Econtra utentes probabilitate debent proprie poenitere de opere malo, quia vel ex inertia negligunt quærere

Tom. III.

certitudinem, vel ex libidine voluntatis contenti sunt probabilitate, non curando veritatem, quod utique est culpa: quod inde maxime constat, quod propter oppositas probabilitates putant esse licitum exequi utrumque extremum; utrumque autem, eo ipso quod sunt opposita, non potest esse rectum: ergo alterutrum necessario est malum, & peccatum materiale: ergo tunc liberè se exponunt periculo peccati materialis; ergo formaliter peccant.

Porro dici non potest cum Averſa, quod N. homo satisfaciatur obligationi de vitando peccato, si sequatur, quod probabile est non esse peccatum. Contra enim est, ait n. 29. quia hoc gratis dicitur, immo oppositum constat in humanis; non enim domini contenti sunt, si servus in excusationem mali, quod intulit, dicat, se probabiliter putasse non esse malum, sed ab illis exigant certitudinem de rectitudine operis.

Tertia ratio est, ait n. 30. quia Probabilista restringunt utrum probabilitatem, ita ut non liceat in Sacramentis, nec liceat Medico, Judici, & aliis pluribus ob grave damnum, quod ex illo usu sequitur; sed hoc sequitur in omni usu probabilitatis, nam sequitur periculum peccati, quo damno nihil gravius: si enim ob mortis periculum secuturum ex remedio minus probabili interdicitur Medico uti pharmaco minus probabili, longe magis interdicenda est licentia opinionis probabilis in omni alia materia ob periculum salutis aeternae, quod semper comitatur usum opinionis probabilis. Confirmat: Cur enim, dum probabile est valde conferri Baptismum in hac forma, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque* cur, inquit, non potest Minister formare sibi iudicium illud certum reflexam, quod in omni probabilitate fundatur, quod sic baptizando non peccet? Uti-que; quia salus baptizandi non pendet ab illo iudicio baptizantis, aut medentis, sed ex natura rei, & institutione Christi D. & ideo iudicium illud certum reflexum est inane ad intentum. Subsumit: sed etiam bonitas, aut malitia actus non pendet ex nostro iudicio, sed pendet ex natura actus in ordine ad legem: ergo sicut certitudo, illa iudicii nihil confert ad salutem baptizati, aut aegroti, ita neque ad vitandum peccatum.

Quarta ratio est, ait n. 31. Quoties spes aff. N. fulget, quod correctio fraterna sit profutura, etsi simul probabile sit non profuturam, adhuc teneor eam ex praeccepto adhibere; eam enim adhibendo certi sumus non peccare; omittendo autem, rimendum est, ne

Kl. ij

frater

frater nostrā incuriā pereat: ergo cū in omni probabilitatis usu adsit timor peccati; sequendo autem moraliter certum, tuti moraliter sumus ab eo periculo, datur praeceptum abijciendi probabilitates, & sequendi moraliter certum. Idem argumentum applicat misericordiae corporali; eo enim ipso, quod sit tantum probabile pauperem esse in extremā necessitate, tenemur ei succurrere: cur autem, nisi quia subveniēdo certi sumus non peccare; omittendo autem, in periculo sumus violandi misericordiae praeceptum? Ergo tenemur semper sequi moraliter certum, & nemo sequi potest probabile, ne hoc sequens pereat; sicut nullus sequi potest probabile, quod talis pauper non sit in extremā necessitate, eo quod illud sequens pauper posset perire.

N.
78.

Quinta ratio: quia plures Probabilistae, dum casus particulares tractant, aliquando, non autem semper dicunt, opiniones oppositas probabiles esse tutas in praxi: ergo ipsi met fatentur, non omnes probabiles esse tutas; adeoque fateri debent non omnem probabilitatem esse aptum fundamentum iudicii reflexi de non peccato in sequendo omnem probabilem. Confirmat: sicut militiae Duces in praeliis, Mercatores in lucris sectandis, immo generaliter homines in suis negotiis dirigendis, non sunt contenti probabilitatibus; cur, ubi res est de premio, aut poenā aeterna, probabilitatibus fidendum erit, cum nihil prosint probabilitates, ut culpa vitetur, & reatus poenae, si forte illud opus in se malum sit, immo etiam si non sit? Quia ad peccatum satis, superque est, libere, & voluntarie se exponere periculo peccati: sed sequens probabilem, omissā probabiliori, sponte, & ultionē se exponit peccato, & peccati periculo: ergo probabilitates nihil prosunt, immo obstant.

§. II.

Ostendo nec dubitare debere, nec iudicium reflexum esse impossibile, nec inuile.

SUMMARIUM.

Ejus contradictoria, n. 80.

Non videtur sanum dicere, quod cognitā malitia operis invincibiliter ignoratā teneamur proprie dolere, n. 81.

Ratio ex periculo peccati materialis probat solam tutiorem, etsi non probabilem, semper sequendam, n. 83.

Cum iudicio probabili de non peccato non stat probabile de peccato, n. 84.

Sequens certo probabilem de non peccato, nec spe-

culativē, nec practice dubitat de peccato, n. 85. 87.

Sicut obediens directe dubius, & incertus de peccato in re praecepta sit reflexe certus de non peccato; ita sequens probabilem directe incertam de peccato, sit per principium superiorem reflexe certus de non peccato, n. 88.

Dilato paritatem a n. 88. ad 90.

Certitudo iudicii reflexi de licito non movetur a iudicio directo, sed ab alijs principijs, n. 89. 90.

Nulla repugnantia inter iudicia, directum, & reflexum, n. 90.

Cognitio non mutat physicē, mutat moraliter obiectum, n. 91.

Idco recurritur ad iudicium reflexum, ut dilamen conscientiae certum habeatur, n. 92.

Omnis Probabilista eligit semper certum, non directē, sed reflexē, ibid. & n. 93. 94.

Peto a Riccio revelationem legis damnantis licitum usum, n. 95.

Longe magis certa est Probabilistarum sententia, quam Riccij, n. 96.

Motivum opinionis non est voluntas, sed illi, cui opinio nititur, n. 97.

Riccio ait, certitudinem principij reflexi de licito usu esse temerariam, n. 98.

Sequens minus probabilem nulli se periculo peccati formalis, sed tantum materialis exponit, n. 101.

Peccatum materiale cognitum, non vero prudenter negatum est vitandum: quin repugnat, ut omne materiale vitari possit, n. 102. 103.

Alteruter ex Pontificibus, qui nituntur oppositis opinionibus, incurrit peccatum materiale, ibid.

Nego proprie dolendum de peccatis materialibus, n. 104.

Cur amicus conqueratur de malo materiali, non Deus? Ibid.

S. Aug. non plorat poenas peccati, ut peccatum, ibid.

S. Theresia non flevit peccata Infidelium invincibiliter patrata, nisi ut poenas, ibid.

Expono damnatam ab Innoc. XI. de parricidio in ebrietate patrato, a n. 105. ad 110.

Peccatum materiale non est obiectum poenitentiae strictae, nec de eo dolere supernaturaliter debemus: nec gaudere de eo cognito, n. 106.

107.

Sequens probabiliter bonestum, est pati potest opus materialiter malum, poenae ex amore honestatis, n. 107. 108.

Paritas dominorum temporalium nulla, n. 109. 110.

Casus Eccl. Ducis, n. 110.

Discrimen inter Deum, & Dominos temporales. Nullum lacrum ex obligatione universi, aut privata-